

1. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA – Decreto del Prefetto (Burke) in Congresso, *Della rimozione o cessazione dall'ufficio di parroco* (Rev.do N. – Congregazione per il Clero) – Prot. N. 43915/10 CA [contenzioso amministrativo], 27 novembre 2010.*

DECRETUM

Exc.mus Episcopus X die 23 decembris 2009 Rev.do N., paroco unionis parociarum in loco v.d. Y notificavit eius amotionem ab illo officio a die 3 ianuarii 2010 effectum habentem.

Frustra emendatione decreti petita, Rev.dus N. per Rev.dum suum Advocatum Procuratorem die 8 februarii 2010 adversus amotionem a paroecia recursum hierarchicum interposuit apud Congregationem pro Clericis, quae eum autem die 18 martii 2010 reiecit.

Litteris tandem diei 1 aprilis 2010 Rev.dus N. ad H.S.T. provocavit. Inspectis actis et audito Rev.do Promotore Iustitiae Substituto, decreto diei 26 maii 2010 Exc.mus H.S.T. Secretarius recursum in limine reiecit ob manifestum defectum praesuppositi.

Die 8 iunii 2010 Rev.dus N. recursum apud H.S.T. Praefectum contra de-

cisionem Exc.mi Secretarii interposuit.

Re rite discussa inter Cl.mos Patronos et Rev.dum Promotorem Iustitiae Substitutum,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Perspecto argumento quo impugnatum Exc.mi Secretarii decretum nititur, id est precariedade officii parochi nominati ad tempus;

Viso memoriali Cl.mae Patronae, quae motivo reiectionis re vera haud adversata est;

Cum proinde recursus adversus Exc.mi H.S.T. Secretarii decretum diei 26 maii 2010 procul dubio omni fundamento careat;

Viso art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Re sedulo examini subiecta in Congressu, die 27 novembris 2010 coram infra-scripto Praefecto habito,

decrevit:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum Exc.mi H.S.T. Secretarii diei 26 maii 2010, quo recursus reiciebatur ob manifestum defectum praesuppositi.

Pro expensis processualibus retinetur cautio in arca H.S.T. deposita. Partes suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Et notificetur omnibus quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 27 novembris 2010

Raimundus Leo Card. BURKE
Praefectus

✠ FRANCISCUS DANEELS, o.praem.
Secretarius